Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



math

Ve vobis scribe et pharisei ypocrite qui decimatis mentam et
anetum et cuminum et reliquistis quæ grauiora sunt legis iudicium et
misericordiam et fidem. hec oportuit facere et illa non omittere du
ces cæci excolantes culicem camelum autem deglutientes Ve uobis
scribe et pharisei ypocrite quia mundatis quod deforis est calicis et
paropsidis intus autem pleni estis rapina et immundicia Pharisee
cæce munda prius quod intus est calicis et paropsidis ut fiat et illud
quod deforis est mundum Ve uobis scribe et pharisei ypocrite
qui similes estis sepulcris dealbatis quæ a foris apparent hominibus
speciosa intus autem sunt plena ossibus mortuorum et omni spurcicia
Sic et vos a foris quidem apparetis hominibus iusti intus autem
pleni estis iniquitate et iniquitate. Ve uobis scribe et pharisei
ypocrite qui edificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta
iustorum et dicitis Si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus
socii eorum in sanguine prophetarum testimonio estis uobismetipsis
quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram
patrum vestrorum Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis a
iudicio gehenne Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes
et scribas et ex illis occidetis et crucifigetis et flagellabitis in
synagogis vestris Et persequemini de ciuitate in ciuitatem ut veniat
super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram a sanguine
abel iusti usque ad sanguinem zacharie filii barachie quem occidistis inter
templum et altare. Amen dico uobis Venient hæc
omnia super generationem istam Ierusalem ierusalem quæ occidis prophetas
et lapidas eos qui ad te missi sunt Quoties volui congregare fi
lios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas
suas et noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta di
co enim uobis Non me uidebitis amodo donec dicatis Benedictus qui
venit in nomine domini Deo gratias

XXVIIII

Et egressus iesus de templo ibat et accesserunt disci
pulus ut ostenderent ei edificationes templi Ipse autem respon
dens dixit eis Videtis hæc omnia Amen dico uobis Non re
linquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur Sedente autem eo super
montem oliueti accesserunt ad eum discipuli eius secreto di
centes Dic nobis quando hæc erunt et quod signum aduentus tui et con